

**Dissertatio medica inauguralis, de colica Pictonum ... / Eruditorum examini subjicit Morteus Moriarty.**

**Contributors**

Moriarty, Morteus.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Robertum Allan, 1804.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/m8kdc8j2>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

COLICA PICTONUM:

---

DISSECTATIO MEDICAE IN AUGUSTALIS

COLICA PICTONUM

~~D. GEORGE HARRISON~~

DISSECTATIO MEDICAE

IN AUGUSTALIS

COLICA PICTONUM

APUD ROBERTUM ALEAM

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

COLICA PICTONUM;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MORTEUS MORIARTY,  
HIBERNUS.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

---

---

Hinc dira tormina, genæ pendulæ tremulæque manus.

PLINY.

---

---

EDINBURGI:

APUD ROBERTUM ALLAN.

CUM PRIVILEGIO,

M,DCCC,IV.

ASSOCIATION OF THE FARMERS

DANIEL MAHONY

COLMCA PICTONUM

THE HOUSE  
OF COMMONS

AND THE SENATE

IN PARLIAMENT ASSEMBLED

GEORGE BARRISTERS

OF THE TEMPLE

AND

OF THE BARRISTERS

OF THE TEMPLE

OF THE TEMPLE

PRO

GRABU DOCTORIS

OF THE TEMPLE

OF THE TEMPLE

OF THE TEMPLE

MORTUUS MORIARTY

HIS

OF THE TEMPLE

OF THE TEMPLE

OF THE TEMPLE

OF THE TEMPLE

MORTUUS MORIARTY

EDINBURGH

AND ROBERTSON

CUM FRATRE

MORTUUS

VIRO EGREGIO

DANIELI MAHONY,

DE DUNLOE,

IN COMITATU KERRIENSI,

COPIARUM DOMESTICARUM PRÆFECTO;

ANIMI INTEGRITATE, MORUM SUAVITATE

ALIISQUE VIRTUTIBUS,

QUÆ VIRUM ORNARE POSSUNT,

IMPRIMIS CONSPICUO,

HASCE STUDIORUM IN MEDENDI

SCIENTIA PRIMITIAS

ANIMI

PLURIMUM DEVINCTI

INDICIUM,

D. D. CQUE,

MORTEUS MORIARTY.

Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

NECNON,

AMICO SUO SPECTATISSIMO

P. MORIARTY, M. D.

ARTEM HIPPOCRATICAM APUD KERRIENSES,

MERITA CUM LAUDE

ATQUE HUMANI GENERIS SALUTE

FELICITER EXERCENTI,

OB

AMICITIAM ET BENEFICIA PLURIMA,

QUIBUS EUM DIGNATUS EST,

DISSERTATIONEM HANC

ANIMI GRATI

PIGNUS,

SACRAM ESSE VULT,

A U C T O R.



---

---

ERRATA.

Page 6. line 13. <i>vice</i> passibusque	<i>lege</i> passibus.
— 11. — 12. <i>vice</i> lanquet	<i>lege</i> languet.
— 14. — 2. <i>vice</i> hominum	<i>lege</i> hominum.
— 14. — 12. <i>vice</i> minutissimus	<i>lege</i> minutissimis.
— 15. — 5. <i>post</i> obfita	<i>dele</i> comma.
— 16. — 6. <i>vice</i> Lieu	<i>lege</i> Lien.
— 16. — 14. <i>vice</i> contraction ependent	<i>lege</i> contractione pendent.
— 16. — 15. <i>vice</i> abdominis	<i>lege</i> abdominis.
— 20. — 3. <i>vice</i> Phthifii	<i>lege</i> Phthifi.
— 24. — 12. <i>post</i> plumbo	<i>lege</i> comma.

---

---

---

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

COLICA PICTONUM:

---

---

*AUCTORE MORTEO MORIARTY.*

---

---

PRÆFATIO.

**H**UNC morbum a quibusdam Colicam Saturnianam, seu Metallicam nuncupatum, male descriperunt veteres, his forsan plumbum pro usu domestico parum innotuit. ÆGINETA, qui anno 700 scripsit, et post hunc PLATERUS, qui anno 1102 primi esse videntur, qui de hoc morbo ex professo tractaverunt. Posteaque FRANCISCUS CITESIUS

A

qui

qui anno 1617 opus vulgavit, quod inscribitur,  
 “ Diatriba de novo et populari apud Pictones do-  
 “ lore Colico Bilioso.” DE HAEN omnes aucto-  
 res, qui ante tempus suum de hac colica differue-  
 runt, ordine enumerat. De causa hujus mali va-  
 riae extiterunt sententiae, neque mirum est, cum  
 non solum ex iis locis ubi maxime grassabatur,  
 verum etiam ex iis rebus, ex quibus oriri crede-  
 batur, nomen accepisset: sic varie apud varias  
 gentes audit, in Anglia, *the Painters Colic*; in Ger-  
 mania, *Huttenkatze*; in India Occidentali, *the*  
*Dry Belly Ach*; in Dorventania, *Bellain*; *Morbis*  
*Colicus Damnoniorum* in Wallia; *the Millreek of*  
*Wilson, &c.* Tandem GEORGIUS BAKER, illu-  
 stris ille eques Baronettus (cui genus humanum  
 multum devincitur) sententiis veterum philosopho-  
 rum collectis collatisque, morbum ex plumbo or-  
 tum fuisse comperuit. Cur verò hoc argumentum  
 aliis prætulerim, in causa sunt historia ejus singu-  
 laris, symptomatumque severitas; præterea spe  
 alliciebar morbum fore rariorem, multorumque  
 vitas conservatum iri, modo mali causa latius inno-  
 tescat;

tescat ; magisque quod ii, inter quos medicinam facere mihi in animo est, lac succumque pomorum expressum in vasis plumbo obductis, quæ in illa Hiberniæ parte in affiduo sunt usu, deponere solent. SAUVAGESIUS, aliique nosologi morbum ab aliis diversum esse opinati, pro unico genere peculiari habuerunt : rectius autem Nosologus noster illustris CULLENUS eum ad colicæ genus sequenti eximiâ definitione insignitum retulit

## D E F I N I T I O.

“ COLICA (P I C T O N U M) præeunte ponderis vel  
 “ molestia in abdomine, præcipue circa umbili-  
 “ cum, sensu : accedente dolore colico, primum  
 “ levi, non continuo, et præcipue post pastum  
 “ aucto ; tandem graviore et fere perpetuo ; cum  
 “ dolore brachiorum et dorsi, in paralyfin demum  
 “ abeunte \*.”

A 2

HIS-

\* CULLEN. Synop. &amp;c. &amp;c.

## HISTORIA.

MORBI hujus, nulli ætati, sexui, aut temperamento proprii, duæ videntur esse species, quarum alteram recte vocaveris acutam, alteram longam seu chronicam. In priore dolor ventriculi et viscerum subito et uno quasi impetu invadit, et vehementer urget, cum alvo astrictissima, quæ non solum purgantibus non respondet, verum etiam clysteres prorsus rejicit. Dolor hic, qui brevi adeo intenditur et ingravescit, ut a corporibus lacerandis vix sese contineant ægri, pressurâ minime augeatur, e contra multum levatur. Angor, jactatio, et vigilia miseros exercent haud multo minus quam morbus ipse. In lecto nunquam conquiescunt, sed assidue inambulant, ubi a lecto abstinere possunt. Ad hæc sæpe accedunt, dolores universorum musculorum, maxime prope scapulas, languor summus, singultus, oculorum torpor, cibi fastidium, cum frequenti ructu, nausea et vomitu.

In

In nonnullis exemplis abdomen tantâ vi distenditur, ut pene difrumpatur, adeoque tenerum nonnunquam evadit, ut stragulorum mollissimorum tactum ferre nequeat; in aliis vero abdominis musculi nodosi fiunt, umbilicus intus ad viscera retrahitur, et alia pars intestinorum ampliata, alia contracta invenitur, urina vel profus retinetur vel perparca est. In hoc mali gradu, arteriarum pulsus subito frequentiores fiunt, cutis ardet, vertigo et cephalalgia ægros fatigant cum stupore vel amentia sæpe in convulsionibus aut apoplexia desinentibus, nonnunquam etiam in manuum aut pedum resolutione. In quibusdam delirium leve, et loquacitas manent aliquantisper, postquam morbi impetus transierit.

In specie chronica, alvus non semper dura est, e contra soluta nonnunquam observatur; si leniter, dolores mitigat; si profuse, vires labefactat. In hac specie, morbus incipit ab hebetere viscerum dolore, qui modo exiguus est vel nullus, modo fit tantus, quantus in hominem cadere potest, modo  
dolor

dolor abest, modo auctâ severitate brevi revertitur præcipue cibo sumpto, modo improvise et subito adoritur, sæpius vero tarde et gradatim ingruit. Hujus accessûs prænuncia antecedunt ponderis aut doloris sensus in scrobiculo cordis, præcipue ad Cardiam (juxta Clutterbuck) cum facie pallida, et cadaverosa, inquietudine, infomnio, cibi fastidio, animo insigniter demisso, alvi nonnunquam profluvie, sæpius autem ejusdem duritie, in qua stercora dura et conglobata fimum ovillum quodammodo referencia solummodo dejiciuntur. Ventriculi molestia paulatim augetur, et tandem fit gravis et continua, dolor et nausea passibusque æquis invalescunt, brevi- que bilis ingens copia simul cum ventriculi contentis elicitur ; ab ingestis cujuslibet fere generis inténditur vomitio, quam doloris remissio statim excipit, quo miser ægrotus causam morbi sui sublatam esse spe vana lætatur. Sed eheu ! brevi recrudescunt ærumnæ, et in pejora ruunt omnia. Dolor, qui in regione epigastrica, præcipue circa umbilicum, per horas aliquot adeo immaniter sævisset, nunc alia sibi vindicat hospitia, et quaquaversum

in

omnes fere abdominis partes tyrannidem suam exerit. Modo stomachum invadit, sæpius vero circa umbilicum sedem figens, tanto dolore urget, ut corpus ægroto quasi transversim secari videatur; dolor inde non raro ad dorsum et lumbos, et aliquando deorsum secundum ureteres usque ad vesicam urinæ transvolat, ægerque quasi doloribus calculosis laborans, testium retractione afficitur; nonnunquam ad pectus, humeros et brachia ascendens sævum rheumatismi impetum mentitur, musculosque externos adeo teneros efficit, ut stragularum ponderis, aut etiam levissimi digitorum tactus impatientes fiant. Paulatim manuum debilitas sentitur, quæ non ultra carpum extenditur, ægerque doloribus in humero, aliisque juncturis, rheumatismum referentibus vexatur. Debilitas paulatim augetur, donec brachia prorsus immobilia fiant, digiti curvantur, actione flexorum potestatem extensorum superante. Pedum margines, digitique extremi, qui sæpe tument, et rubent, æque ac si podagrâ laborarent, dolore afficiuntur, jamque æger minime a ventriculo laborat. Observatu dignum est



est diversas corporis partes, saltem diffitas, quæ in hoc malo patiuntur, raro aut nunquam eodem tempore affici; sic e. g. dolore ventriculum occupante viscera inferiora plerumque, et proculdubio artuum musculi, tranquilla sunt: contra, his affectis, ventriculus, tubusque intestinalis dolore prorsus immunes sunt. Doloribus hoc modo transvolantibus, cito convalescendi spes ægro affulget; hæc autem spes brevi evanescit, dolor enim duabus vel tribus circiter horis elapsis cum solita sævitia redit, miserumque sensu intestinorum quasi constrictorum et sursum ab ano, et deorsum simul a pyloro ad umbilicum, tanquam doloris centrum, tractorum afficit. Sudor, quo omnia indicia mitigantur, hoc fere tempore prorumpit simul cum eruptione supra cutem. Purgatâ alvo nonnihil quidem, sed haud multum levari se sentit æger. Urgente hac colica pulsus opinione minus concitatur. Nonnunquam subito frequentior fit et cum cutis ardore, vertigine, cephalalgia, stupore, et delirio, ægerque infelix miserrimam vitam per tæsus, convulsionibus aut apoplexiæ succumbit: sæpius vero tormina, vomitio,

vomitio, singultus, et ructus miseros exercent, donec tam pallidi et exfangues evadant, ut Larvis Jure assimilentur. Lugubrem horum conditionem his verbis ad vivum depingit CITESIUS—“ Per  
 “ vicos veluti larvæ, aut arte progredientes sta-  
 “ tuæ, pallidi, squalidi, macelenti conspiciuntur  
 “ manibus incurvis et suo pondere pendulis, nec  
 “ nisi arte ad os et cæteras supernas partes subla-  
 “ tis, ac pedibus non suis, sed crurum musculis,  
 “ ad ridiculum, ni miserandum, incessum compo-  
 “ sitis, voce clangosâ et streperâ.”

Morbi duratio varia est. Si signa sint mitia et medicina perite adhibeatur, raro ultra septimanam protrahitur: contra si morbus urgeat, si dolores sint graves, vel si prorsus negligatur aut imperitè tractetur, plures hebdomadas aut etiam menses perstabit. Modo paucos dies, vel mensem; iterumque tertio vel quarto quoque mense redibit; modo per annum vel decem annos durabit, priusquam manus resolutæ fuerint. Anima aliquando odorem fætidum et stercorem adipiscitur, et quando

tormina diu perstiterint, et tandem remittere inceperint, humeri summi et musculorum vicinorum dolores, cum sensu insolito, et formicatione secundum spinam percipiuntur, quibus paralyfis artuum plerumque superiorum, modo vero omnium musculorum motui voluntario inservientium, supervenit. Sensus totus manet, et in quibusdam acutior aut vividior, quam sanitate perstante, evadit. Postquam manus paralyticæ factæ fuerint tam in acuta quam in chronica specie, affurgere solet, in dorso alterius vel utriusque manûs prope initium ossis metacarpalis medii, tumor ad nucis parvæ magnitudinem sine dolore, vel coloris mutatione, (hoc vero non est perpetuum) modo fixus, modo mobilis est, spissitudine et duritie varius, interdum lapideum, aliquando cretaceum, nonnunquam caseum refert. Motus articuli hoc vitio impeditur.

Hæc colica varie terminatur. Modo in juncturarum contractura, modo in pedum, manuumve resolutione, sæpius vero in manuum; nonnunquam in brachiorum et pedum paralyfi desinit. In mem-

bris

bris resolutis motus penitus deletur, sensus vero totus manet, et aliquando vividior evadit. Morbus comitialis hunc sæpe excipit, tunc vero paroxysmus longius protrahitur quam in epilepsia vera fieri solet; sæpe quidem et epilepsia et paralysis cum abdominis doloribus alternantur. In nonnullis sed perpaucis quidem exemplis crura haud minus quam manus perenni resolutione occupantur. Ubi dolores atrociores finiti sunt et paralysis accessit, dolor obscurus in ventriculo remanet, cum vagis universi corporis doloribus, simul cupiditas cibi lanquet, et non raro est nausea et vomitus. Corpus et vires sensim amittuntur, præcipue vero extenuatur musculus qui pollicem adducit. Sæpe etiam muscoli pectorales, deltoides et biceps flexor cubiti in meram membranam abeunt. Sæpenumero morbus hic in hydrope juxta DE HAEN, et nonnunquam in Phthisi Pulmonali definit.

Operæ prætium est notare alia præter hominem animantia huic malo patere, equum scilicet, canem,

felim, vaccam, anferem, truttam, &c. In his sub duplici forma impetum facit, vel intestina maxima astrictione, tormiibus, vel caput rabie ferocissima afficiens; in variis animalibus varia signa apparent. In bobus morbus sæpiùs notatur, quippe hominibus præ cæteris maximè necessariis. In oppido juxta colles plumbeos octoginta vel centum boves omni æstare aluntur, ex quibus decem hoc veneno pereunt. Colica intestina occupante, palpitant, summa alvi astrictione, torminibus, dysuriâ et salivæ emissionem laborant, oculi graves et torpidi fiunt; cum vero morbus caput infestat, alia symptomata observantur, oculi protruduntur, multa saliva madent, quasi canibus agitati, per agros feroces ruunt, et si lac præberent, vel quantitate minuitur, vel penitus deficit. In hac colicæ forma urina et fæces facilius redduntur. In uno exemplo ex vaccis sex colicâ in eodem agro et eadem nocte correptis, una tantum, quæ nuper partum ediderat, immunis evasit, quod forsan lacti per totum corpus diffuso attribui debeat. Præterea observatum est, boves hic per quinque aut octo men-

ses

ses commorantes, fummis doloribus maximâque difficultate enixos esse. Equi similiter laborant, oves multis epilepsiæ signis occupantur, agni extremitatum paralyfi, quæ agitatione quavis excitatur, præcipue si viris aut canibus vexentur. Canes quoque, si heri tantum longiùs aut solito celeriùs inambulent, morbo corripiuntur, latrant, præcipientes ruunt, morbum vero aliis non imperitiunt. Aves quoque domesticæ huic veneno obnoxia nulla pariunt ova. Truttas in fluviis juxta molas ad cerussam conficiendam captas mole minore esse, molliore corporis compage, odore et sapore minus gratâ, quam eæ sunt in fluviis ab hac causa procul innutritæ, observatione constat. Corporum ipsarum incrementum enorme paulatim fit, capite deformi, et justo grandiore factò, dorso incurvato, et caudâ mirum in modum minutâ et gracili \*. Morbus tempestate aridâ maxime viget, tunc pecora, quæ juxta rivum vescuntur, colica præcipue infestantur, præsertim si paulo ante rivus supra ripas effusus fuisset. Hoc forsan tempore  
cristalla

\* Vide PERCEVAL's Essays.

crystalla metallica circa graminis radices præcipue formantur. Boves hominum curam jure vindicantes injectionibus purgantibus, butyro et lacte vel per os sumptis, vel per anum injectis curantur; et si, primis morbi signis ingruentibus, rigidâ scilicet pelle, tumoribus in abdomine, &c. in novum pellantur pascuum procul a fluminè, cito facileque convalescunt et confirmantur. Equi simili modo tractantur.

### SECTIO CADAVERUM.

PARUM adhuc profuit corporum inspectio ad morbi illustrationem, quoniam plumbi venenum nervos probabiliter afficit, non omnibus datur, in anatomia utcunque versatis, mutationes observare, quæ in nervis minutissimus fiunt. In quibusdam enim hac colica peremptis, nullum vitium intus in corpore deprehensum est, quod ad hunc morbum pertinere, mortemve inferre potuisset. Senac decem ægros hoc morbo peremptos

secuit

fecuit, in quibus ne vel minimum morbi vestigium apparuisset. LIEUTAUD vero multa tradit exempla, in quibus intestina, jejunum præcipue, et ileum in variis partibus, maculis numerosis, lividis, nigricantibus obsita, fuerunt. In quibusdam intestina per totum suum cursum mirum in modum contracta (adeo ut aditus penitus occluderetur) et alterne dilatata reperiuntur, præsertim colon et rectum, quorum aliæ partes prorsus nonnunquam delentur, aliæ ultra modum interdum ampliantur, aut flatu distenduntur, aut globulis duris infarciuntur. Idem contingere in animalibus inferioribus patet ex dissectionibus Clarissimi WILSONII, qui canem hac colica laborantem aperuit, in quo plumbum comminutum tunicis ventriculi et intestinorum intus adhærebat, et pluribus eorundem partibus crustam inducebat : aliæ porro partes inflammationis, (quæ quidem raro aut nunquam in hoc morbo obvenit) aliæ gangrænæ signa, foraminibus simul exesæ, præ se ferebant. Fæces parvæ et durissimæ erant. Idem intestinorum tunicas multum densatas, et cava eorum plurimum coarctata



ta observavit. Ventriculi etiam partes inflammatione et gangræna sæpe afficiuntur, neque cætera abdominis viscera immunia evadunt, hepar enim et pancreas tumoribus obstruuntur: vesica bilis humore viscido nigricante distenditur: omentum gangræna et putredine corrumpitur: licu denique et mesenterium vitiiis similibus scedantur. Musculi quoque mole minuuntur, et in meram membranam rediguntur, præcipue pectorales, deltoides, et biceps, flexor cubiti, &c.

#### SYMPTOMATUM RATIO.

Ex his quædam manifesta, alia vero maxime obscura et explicatu difficillima, ideoque quam paucis absolvenda sunt. Tormina et pertinax alvi durities ex spastica intestinorum contractione pendent, quæ in abdominis parietes diffusa, horum contractioni et præter naturam dilatationi occasionem dat. Ex eadem causa pendere videtur urina parca aut suppressa, clysterumque rejectio. Dolor et molestiæ

molestiæ sensus ad scrobiculum cordis relati, vel plumbo ventericulum, vel fæcibus coli arcum irritantibus tribuendi sunt. Appetentia cibi deficiens ventericuli fibrarum debilitati, aut mutationi cui-dam in succo gastrico assignatur. Nausea et vomendi cupiditas ex ingestis in ventericulo diutius retentis oritur. Vomitus ex acris ventericulum irritantibus, motumque ejus naturalem invertentibus, exoritur; abdominis tensio et tumor, animæ, sudorisque fœtor ex fæcibus diu retentis. Atrophix quorundam muscutorum, sensûs integri, seu aucti (motu penitus deleti) ratio magnâ adhuc difficultate premitur, atrâque caligine mergitur.

### CAUSÆ REMOTÆ.

VARIÆ diversæque sententiæ, a diversis aucto-ribus, jam inde a prima mali origine, de causis remotis prolatæ fuerunt, inter quas annumerantur frigus, humor, imperfecta febrium crisis, venena diversa, cuprum, arsenium, argentum, &c. De

his silentio prætereundum est, quoniam inter omnes medicos convenit plumbum in pulverem comminutum falsæve ejus morbum proculdubio gignere. Acuta forsan species nascitur, ubi multum plumbi intra breve spatium sumptum fuerit: contra si quis parum sumpserit et diutiùs idem facere consueverit, tum morbus fit longus. Vix dici potest quantillum hujus metalli morbo gignendo par sit, unde non levis oritur difficultas aditum ejus, in ventriculum investigandi. Cerussæ acetatæ granaria singulis diebus sumpta per quatuor dies, initium dederunt alvo astrictæ, fastidio et torminibus. Hæc colica, (ait HEBERDEN) tandem quidem sanata, sed quæ diu molesta fuerat, orta est ex tincturæ Saturninæ guttis triginta quotidie sumptis per mensem; plumbi vero pondus in his guttis triginta unum vix excessit granum.

Plumbi in cinerem reductio adeo in proclivi est, ut ad varia ejus opera sine multo negotio in corpus aditum sibi faciat: sic artifices varii huic veneno obnoxii sunt, hi scilicet, qui metallum crudum

dum ad formam metallicam reducunt, aut jam reductum liquant, quique ceruffam et oxida diversa conficiunt. Qui vero plumbum ex terræ visceribus effodiunt, non eâdem ratione veneno patent, ni forsan ex loco prærupto, aut faxis durissimis, frangique difficillimis effodere neceffe fit. Pictores etiam, vitrarii, figuli, pharmacopolæ, typographi, qui pilulas et glandes plumbeas conficiunt, quique minium molunt, huic veneno, variis autem gradibus objiciuntur. Varia metalli hujus præparata tum internè, tum externè, a medicis adhibentur, et sic morbus sæpissimè datur, præsertim, si cuti abrasæ vel superficiei crudæ applicentur, (quod absorptioni maxime favet). Hoc patet ex exemplo nobis, a clarissimo DARWIN tradito, cujus verba usurpare æquum est.—“ A woman, feeble and old, about forty, sprained her ankle, and bruised her leg and thigh, and applied, by ill advice, a solution of lead over the whole limb, as a fomentation, and poultice, for about a fortnight. She was then seized with COLICA PICTONUM, lost the use of her limbs,

“ and gradually sunk under general debility \*.”

Acetis plumbi in phthisi pulmonali, gonorrhœa, et ad hæmorrhagias in variis corporis partibus compescendas ore usurpata est, et sic morbum induxisse fertur. Per totum vitæ decursum quâlibet die aut etiam horâ plus minusve venenatis plumbi facultatibus patemus. Aqua, quam quotidie potamus, ciboque parando tam necessaria, per tubos plumbeos in multis locis sæpe labitur, et in cisternas accepta, per horas aut etiam dies in his manet, et si acidum contineat, omnibus in chemia versatis patet metallo solvendo par fore. In Hiberniæ variisque Angliæ locis, lac in vasis plumbo obductis deponitur, quod morbum non raro intulisse testatur illustris ZOONOMIÆ auctor his verbis—“ A delicate young girl, daughter to a dairy farmer, who kept his milk in leaden cisterns, used to wipe off the cream with her finger from the edges of the cisterns frequently; as she was fond

\* DARW. ZOONOM. Vol. II. p. 102.

“ fond of it. She used to lick the cream from off  
 “ her fingers. She was seized with the Saturnine  
 “ Cholic, with semi-paralytic wrists, and sunk from  
 “ general debility \*.”

Plumbum in artibus diversis usurpatur, vasa fictilia Galænâ incrustantur, quæ acidis aut etiam oleo solvitur. Vasa cuprea vix unquam stanno sic obducuntur, quin simul aliquid plumbi admisceatur; quare si quispiam, sæpiùs quam reliqui ejus convictores vescatur iis, quæ in his vasis cocta sunt, tum maxime si quid acidi est, consequetur, eum vel solum vel præcipuè colicâ occupari. Aceta enim et quæ aceto condiuntur, si ferventur in fictilibus plumbo illitis, hoc metallo semper inquinantur; quæ condimenta cum aliis jucundissima sint, aliis vero displiceant, itaque iisdem in ædibus illi torminibus plectentur, a quibus hi prorsus liberi erunt. Idem etiam venenum latere potest in uno genere potionis, non autem in reliquis, quæ eisdem mensis bibenda apponuntur, unde dispar erit conviva-

rum

\* DARW. ZOONOM. Vol. II. p. 102.

rum fors, nisi parem omnes venenati liquoris modum biberint. In China plumbum ad theam in fascem compingendam adhibetur, spiritus distillati per tubos plumbeos vermiformes illabuntur, et hoc modo veneno sæpe inquinantur: saponem ad ornatum compositi plumbo admiscuntur (quod gravitate facile detegi potest). Ex variis autem modis, quibus in corpus humanum sese insinuat, nullus frequentior aut usitator est quàm per deglutionem vini hoc metallo vitiati. Per plura sæcula invaluit mos, (quem jurè lex tandem coercuit) acerbum corrigendi saporem vini levioris Gallici et Germanici plumbo, cujus oxidum vinorum acido solutum, ipsorum acorem corrigit, saporemque gratum impertit. Ex actis Parisiensibus anni 1750 patet, triginta vini acerbi dolia acetite plumbi hoc modo vitiata, per tres annos venum dari. Vina, aiunt, alba, plumbo sæpius vitiari quàm rubra; ideoque ejus potatores huic colicæ opportuniore esse. In quibusdam Angliæ partibus, præcipuè occasum et austrum versùs instrumenta varia, quibus succus pomorum expressus parabatur, vasaque, quibus

quibus pro usu servabatur, partim ex plumbo extrui solebant, et quod morbo sæpiùs originem dedit, plebs ex ollis fictilibus oxido plumbi incrustatis vinum suum plerumque hauriebant. Vinum igitur pomaceum sic paratum et epotum hoc veneno inficiebatur, quod experimentis plurimis fatis probatum est : in his Angliæ locis morbus colicus et affectiones paralyticæ vigeant. In aliis Angliæ partibus, in quibus vini pomacei usus haud minùs increbuit, apparatus ad liquorem parandum nihil plumbi habuit, neque vasa, quibus incolæ vulgo utebantur eodem incrustata fuerunt ; hìc loci morbus vix ac ne vix quidem visus est. Tormina ficca, ut vocantur, Indiæ Occidentalis, Colicæ Pictonum, tum in signis, tum in morbis supervenientibus respondent ; et hìc loci morbus ex usu immodico spiritûs Sacchari recens parati provenire credebatur, priusquam Celeberrimus J. HUNTER causam indagasset. Ex experimentis ab eo ex industria institutis, fatis manifeste patet, morbum ex plumbo, quo liquor inter distillandum imbuitur, oriri ; tubi enim instar spiræ convoluti, per quos liquoris vapores



vapores transeuntes densantur, magna ex parte ex plumbo conflantur. Inter alia intestinorum mala quibus infantes conflantur, Colica Pictonum forsitan non ultimum locum tenet; quam scilicet contrahunt, dum crepundia sua minio, aut ceruffâ fucata, ori, (ut sæpe fit) admovent, et lingunt. Horum crepundiorum artifices eodem morbo tentantur.

### DIAGNOSIS.

PAUCI tantum existunt morbi, quibus hæc colicæ species confundi potest, inter hos præcipue micat colica spasmodica vulgaris et paralyfis ab aliis, quam a plumbo causis enata. Ab his Diagnofis minimè in patulo est, colicam enim spasmodicam sub initium adeo æmulat, ut distinctio haud rarò difficilis, imo nonnunquam minime fieri potest. Si vero animos ad signa et causas ritè advertamus ab hac Colicam Pictonum fecernere valebimus. In Colica Pictonum abdominis dolor

haud

haud tanta cum violentia sub morbi initium semper invadit, sed paulatim ingravescit cum ponderis ad scrobiculum cordis sensu. Alvi durities pertinacior est, et quamvis in plures dies aut etiam menses prolata, inflammatione aut gangræna raro aut nunquam finitur. Contra Colica Spasmodica in inflammationem et gangrænam citò ruit, plerumque est minus fixa aut diuturna, doloresque paroxyfmi sunt magis fugaces. Resolutio membrorum, quæ hunc morbum accipere solet, adeo propria est, ut ab omnibus aliis internosci queat, motus enim partis resolutæ plerisque in exemplis solus imminuitur, sentiendi facultate vel integrâ vel vividiore factâ. Debilitas tardè obrepit, et motus obscurus plerumque superest. Atrophia in Colica Pictorum multo insignior est, quam in paralyfi ab aliis causis enatâ, musculosque quosdam, flexores scilicet pollicis, deltoidem et pectorales præ cæteris infestat et consumit: nec non observatione constat artus superiores hac paralyfi multo frequentius tentari. Cognitio autem causæ excitantis dux est erroris prorsus expers, si ex vitæ gene-

re, aliisque rebus circumstantibus ægrum venenatis plumbi viribus obnoxium fuisse constet, omne de morbi naturâ dubium evanescet.

### PROGNOSIS.

HÆC quidem pro signorum gravitate, morbi duratione, et tempore per quod æger causæ excitantis viribus objectus fuerit, variare oportet. Si colicæ signa sint levia, si remediis adhibitis brevi cedat, raro ultra septimanam protrahitur, morbumque radicibus sublatum iri sperandum est. Contra si causæ excitanti diutiùs objectus fuerit, si medicina intempestivè aut imperitè adhibeatur, si dolor, vomitus, alvique astrictio tanta sint, ut remediis idoneis repugnent; quò hæc omnia graviora, eò magis in angusto spes erit. Vomitus perpetuus, pulsus intermittens, macies insignis, dolor ferè perennis et acutus, convulsiones, post paralyfin hydrops, mortis prænuncia plerumque existunt. Ad summam nunquam ex medici memoriâ excidere debet,

debet, sententiam, etiam in exemplis, de quibus optimè sperare licet, cautissime ferendam esse; interdum enim contigit, ut qui Colicâ Pictonum laborabant, repentinâ morte perierint; dum alii, qui jamjam perituri visi sunt, intra triduum in tantum restituti fuerunt, ut foras exire potuerint.

## C U R A T I O.

MEDENDI ratio duplex esse videtur.

1<sup>mo</sup>, Symptomata urgentia levare.

2<sup>do</sup>, His levatis, tonum intestinis restituere.

Signa quæ maxime urgent sunt vomitus, dolor, intestinorum spasmus alvique durities; his sublevandis ad *opium*, (divinum illud miserorum solamen) confugiendum est. De opii usu in hac colica plures dubii hærent, aut opium prorsus rejiciunt; quoniam (uti dicunt) intestina magis torpere facit, et propterèa hebetat facultatem remediorum, ex quibus ægri salus speranda est. Contra alii opii utilitatem defendunt, quia vomitum cohibet, sic ut stomachus possit re-

tinere eum medicamentorum modum, qui multò superet torporem a narcotico profectum. Hæc mihi perpendenti, ea sententia multo potior visa est, quæ opium prædesse statuit, quam quæ nocere: eamque medicorum experientia satis confirmavit. Opium præterea distentiones moderat, motus musculorum inordinatos compefcit, doloris cruciatus confopit, purgantium vires ita promovet, ut ad alvum ciendam citiùs et certiùs valerent, ægrique vigiliâ fatigati, et angore confecti, vix perdurare possent sine benigno succi hujus auxilio. Opii quantitas danda, ex morbi progressu, signorumque violentiâ pendere oportet. Morbo recente et signis mitioribus, a parvis dosibus incipere debemus. Malo autem inveterato, torminibus et vomitione urgentibus, opium liberali manu, dosibus scilicet granorum duorum aut etiam trium, idoneis intervallis (prout res postulare videatur) interpositis, administrari debet. Enemata quoque cum tincturæ opii guttis sexaginta aut etiam octoginta, si signa maxime sæviant, simul injici debent. Postquam vomitûs cessatio, dolorisque remissio, actio,

nem

nem intestinorum abnormem et spasmodicam aliquatenus domitam indicaverint, alvi durities quam primum experienda est : et hinc loci observandum est acria cathartica quam cautè vitanda, morbi enim initio administrata dolorem augment, protrahunt et etiam opio pacatum renovant. Mitiora igitur cathartica, vel illa quæ alvum lenitèr ducunt, sola utenda ; ex his *sulphas magnesiæ* primum forsan locum tenet ; drachmæ sex vel octo ex aquæ menthæ piperitidis unciis quatuor liquatæ, partitis vicibus dari, et prout res postulaverit, iterari oportent. *Tartritis et supertartritis potass.* aquâ largâ soluta exitu felici administrantur.

*Sulphas aluminæ* (teste Doctissimo PERCEVAL) dosibus sæpe iteratis ad constipationem vincendam omni laude dignum videtur. Ex oleosis, *oleum ricini* cum tincturæ jalappæ pauxillo, omnibus aliis ejusmodi palmam jurè præripit. Si hujusmodi rebus, quæ ventriculo, multo minus quam medicamina refinosa nocere solent, alvi astrictio non cedat, *vesicatoria* abdomini imposita haud parùm levaminis

vaminis attulisse, et cathartorum vires etiam accelerasse, experientiâ constat.

*Balneum tepidum* dolorem statim levat, et viribus, quibus in corpore relaxando motuque intestinorum abnormi sedando pollet, cum cæteris remediis mirum in modum conspirat. Apud DE HAEN, BAKER, aliosque, huc et illuc astant exempla colicæ, ubi constipatio omnibus aliis remediis planè rebellis, *balneo frigido*, vel *gelu ipsi*, aut *nivi*, abdomini, artubusque inferioribus applicato, incantamenti quasi instar cederet: nisi tamen in extremis (ubi anceps, quam nullum remedium satius experiri foret) ad hoc confugere nollem. *Opium* post alvi purgationem, quo spasmi occurratur, et somnus invitetur, et prout res postulaverit, iterari debet. Si morbo sublato, alvi durities ad reditum præceps fit (unde malum sæpe recrudescere solet) medicamenta purgantia leniora exhiberi debent. *Sulphur* per se, vel *sulphuretum potassæ*, et *oleum ricini*, exitu felicissimo administrata sunt. Dolore redeunte, extractum *hyosciami*, quippe  
quod

quod dolorem sopit, alvumque simul leniter liquat, opio anteferendum est.

Symptomatis variis hoc modo pacatis, ne morbus revertatur totis viribus enitendum est. Ad hoc consilium conveniunt tonica, ferrum, cortex Peruvianus, amara, aromatica, balneum frigidum, dieta lauta, concoctuque facilis, atque causæ remotæ evitatio provisa. *Aquæ Bathonienses*, ventriculis infirmatis salutiferæ haud contemnendum auxilium his ægris pollicentur; et sæpe intestinorum torporem, et proclivitatem in duritiem, multis aliis remediis frustra tentatis, mirificè sustulerunt. Quin etiam fructum capient ægroti ex itinere ad Bathoniam, cum non tantummodo locum, sed positionem quoque mutant, et cibus aliis vasis coquantur, et alia condimenta apponantur: itaque sperandum est, omnes plumbi aditus fore interclusos, contra quos utpote ignotos, ægri non poterant defendi, si domi manerent.

Huic



Huic morbo in paralyfin abeunti difficillime quidem medetur. Paralyfis autem a plumbo profecta haud mihi videtur naturâ diverfa ab illâ, quæ ex nervorum refolutione ab aliis caufis enafcitur; ideoque ftimulantibus tum internis tum externis tutò tractanda. Ad paralyfin recentem remedia jamjam laudata plerumque votis respondebunt; fi vero diu perftiterit, alia remedia experiri neceffe erit. Hydrargyrum exitu feliciffimo datur, vel formâ pilulæ, vel unguenti, donec lenis falivæ fluxus moveatur. Cel. FOTHERGILL \* tincturam Guiaci ammoniatam insigniter profuiffe testatur. Veficatoria caute, ob gangrænam ufui eorum fupervenientem, admoveri debent. DE HAEN †, de ufû ignis ætherei fcintillarum grave testimonium profert. Cel. WITHERING ‡ de Birmingham, paralyfin a plumbo, gafe oxygenio, folitis remediis fruſtra adhibitis, fanatam

\* Lib. II.

† Rat. Med. Vol. III.

‡ Annals of Med. 1796, p. 393.

natam se vidisse refert. Ex omnibus remediis hactenus propositis, Bathoniæ et Bricosteni thermæ, ad ventriculi vires reficiendas, alvi astrictiorem præcavendam, et partes paralyfi affectas animandas, maxime profuerunt. Thermis utentes lenis exercitatio sub JOVE frigidulo et sicco, atque diæta ex lacte plurimum reficiunt.

---


Hoc opusculo qualicumque jamjam absoluto, studiisque meis ad finem fere perductis, mihi gratias agere liceat Professoribus almæ hujus Acedemiæ, imprimis, Professori meo eximio Doctori HOME, tum benevolentia, tum eruditione conspicuo, qui vires meas languentes paternâ curâ, medici fidelitate et perspicuitate per invaletudinem sustentavit : nec non prædilecto sodali meo Doctori ALEXANDRO EAGAR, cujus consiliis prudentibus maximo cum fructu per studia mea sæpe usus sum. Ut artem suam eodem honore, quo studia profecutus est, exerceat, precatur multum divinctus amicus.

M. MORIARTY.

The first part of the paper is devoted to a general  
 introduction of the subject, and to a statement of the  
 objects of the present investigation. In the second  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of gases, and compares the  
 results obtained with those of other observers.  
 In the third part, the author discusses the  
 various methods which have been employed for  
 the determination of the specific heat of  
 liquids, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the fourth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of solids, and compares the  
 results obtained with those of other observers.  
 In the fifth part, the author discusses the  
 various methods which have been employed for  
 the determination of the specific heat of  
 mixtures, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the sixth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of solutions, and compares  
 the results obtained with those of other  
 observers. In the seventh part, the author  
 discusses the various methods which have been  
 employed for the determination of the specific  
 heat of alloys, and compares the results  
 obtained with those of other observers. In the  
 eighth part, the author discusses the various  
 methods which have been employed for the  
 determination of the specific heat of  
 compounds, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the ninth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 compounds, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the tenth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 solutions, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the eleventh  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 alloys, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the twelfth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 compounds, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the thirteenth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 solutions, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the fourteenth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 alloys, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the fifteenth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 compounds, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the sixteenth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 solutions, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the seventeenth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 alloys, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the eighteenth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 compounds, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the nineteenth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 solutions, and compares the results obtained  
 with those of other observers. In the twentieth  
 part, the author discusses the various methods  
 which have been employed for the determination  
 of the specific heat of mixtures of  
 alloys, and compares the results obtained  
 with those of other observers.

M. M. M.





1850

ARTICULI MEDICI

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

